

Iob 12. qui adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Balteum regum dissolut, & præcingit fune renes eorum. Quia si impugnatōres secundum terrenam, humanamq; potētiam fortiores apparent, etiā reliquus mundus totum assensum præberet rebellibus, & fauorem dicendum erit cum dignæ memoriæ viro Matathia 1. Machab. 2. Et si omnes regi Antiocho. id est principi tyranno obediūt vt disceret vnusquisq; à seruitute patrum suorum, & consenserunt mandatis eius, ego & fratres mei, & filii mei obediemus legi patrum nostrorum, propterea nobis sit Deus, non est nobis vt le relinquere legem, & iustitias Dei. Non audiemus verba regis, transgredientes legis nostræ mandata, vt eam altera via. Neg; etiā paucis de victoriā desperandum est, dummodo rāmen ad dominum toto corde conuertantur, quia scriptum est 1. Machab. 2. Non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis, & in paucis, quia non in multitudine exercitus est victoriā, sed de cælo est fortitudo. Et 1. Reg. 4. Non est Deo difficile saluare, vel in multitudine, vel in paucis. Et iterum 2. Paral. 14. Domine non est apud te vlla distantia vtrum in paucis auxiliaris, aut in pluribus. Quæ etiā multæ veteris testamenti comprobant historiæ. Vnde q̄ amore iustitiæ, persecutionis periculo perseueranter se subiciunt in domino confidentes de duobus alterum sperare habent. Aut quia in hoc tempore grātiōse liberabuntur ab inimicis in die, quem constituit dominus. Aut multo melius secundum apostolum Hebr. 11. non suscipientes temporalem redemptionem vt meliorem inuenirent resurrectionem, quibus sine dubio dominus facit 1. Cor. 10. cum tentatione prouentum vt possint vtiliter sustinere. De quo sit hæc propositio nouissima, & finalis.

**Propositio duodecima.**

Quisquis ex Dei charitate pro hu-

ius obedientiā iustitia conseruanda impugnatus sanguinem fundens moritur, tanquam martyr à domino coronatur. Martyr est coram domino, quicumque amore Dei propter actum virtutis moritur, vt vult Tho. in summa. 2. 2. q. 124. artic. 5. Cui consonat illud euangelij Mat. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Est autem iustitia omnis virtus 5. Ethic. Hinc multos ecclesiā tanquam martyres veneratur, qui non pro confessione fidei, sed alterius virtutis actum mortem susceperunt. Sic beatus Ioannes Baptista propter adulteriū reprehensionem gladio occubuit. Sic Mattheus apostolus, & euangelista quia virginitatis votum matrimonio prætulit, atq; Epigeniam Deo sacratam Virginem, ab Hirtaci regis copula prohibuit, iussu eiusdem tyranni ferro interemptus est. Sic beatus Hermigildus cuius supra mentio habita ē, quia Eucharistiam ab Arriano episcopo accipere recusauit iussu patris sui est extinctus. Sic beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus, à tyranno christiano pro libertate ecclesiæ, cui cedere indignum iudicauerat, martyrio coronatur. Dum itaq; homines huius seculi variis excusis (Quidam propter perituras diuitias. Alii propter momentaneas voluptates. Alii propter amicorum fidem. Alii propter patriæ liberationem. Alii mundanum propter honorem. Alii propter diffamie repulsionem. Alii propter rempublicam. Alii propter honestatem, aut quamlibet moralem iustitiam) periculo corporalem suppofuere. Effeminatus nimium probatur catholicus, qui dum æterna sibi offertur corona, mortem corporis, quā soluere necesse est, timet tempore modico preuenire. Sed magis gaudendum est christiano, dum propter iustitiam persecutionem patitur, dum ad Christi domini imitationem sicut amicus singularis, sicut filius electionis suæ, signo certiore ad palmam, sublimemq; gloriā vocatur. Propter quod apostolus Philip. 1. ait. In nullo tæreamini ab aduersariis, quæ est illis causa perditionis

Quisquis ex Dei amore propter obedientiam sanguinem fundit vt martyr à dño coronatur.

Propter  
tio suæ  
rit  
do  
suis